

**LECTIONES DE MEMORIA**  
**BEATAE MARIAE VIRGINIS ECCLESIAE MATRIS**  
*Feria II post Dominicam Pentecosten*

**Lectio prior**

*Mater cunctorum viventium*

**Léctio libri Génesis**

(3,9-15.20)

[Postquam comédit Adam de ligno,] vocávit eum Dóminus Deus et dixit ei: «Ubi es?». Qui ait: «Vocem tuam audívi in paradíso et tímui eo quod nudus essem et abscondí me». Cui dixit: «Quis enim indicávit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo tibi præcéperam, ne coméderes, comedísti?».

Dixítque Adam: «Múlier, quam dedísti sóciam mihi, ipsa dedit mihi de ligno, et comédi».

Et dixit Dóminus Deus ad mulierem: «Quid hoc fecísti?».

Quæ respóndit: «Serpens decépit me, et comédi».

Et ait Dóminus Deus ad serpéntem: «Quia fecísti hoc, maledíctus es inter ómnia pécora et omnes béstias agri! Super pectus tuum gradiéris et púlverem cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illíus; ipsum cónteret caput tuum, et tu cónteres calcáneum eius».

Et vocávit Adam nomen uxóris suæ Eva, eo quod mater esset cunctorum vivéntium.

**Vel:**

*Erant perseverantes in oratione cum Maria, matre Iesu*

**Léctio Actuum Apostolorum**

(1,12-14)

[Postquam assúptus est Iesus in cælum,] revérsi sunt apóstoli in Ierúsalem a monte, qui vocátur Olivéti, qui est iuxta Ierúsalem sábbati habens iter.

Et cum introíssent, in cenáculum ascendérunt, ubi manébant et Petrus et Ioánnes et Iacobus et Andréas, Philíppus et Thomas, Bartholomaéus et Matthaéus, Iacobus Alphaéi et Simon Zelótes et Iudas Iacóbi. Hí omnes erant perseverántes unánimiter in oratióne cum mulieribus et María matre Iesu et frátribus eius.

**Psalmus responsorius**

(Ps 86,1-2. 3 et 5. 6-7. R. 3)

**R. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei!**

Fundaménta eius in móntibus sanctis;  
Díligit Dóminus portas Sion  
super ómnia tabernácula Iacob. **R.**

Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei!  
Et de Sion dicétur: «Hic et ille natus est in ea,  
et ipse firmávit eam Altíssimus». **R.**

Dóminus réferet in librum populórum: «Hi nati sunt illic».

Et cantant sicut chorus ducéntes:  
«Omnes fontes mei in te». **R.**

### **Alleluia**

Allelúia.  
O felix Virgo, quae Dóminum genuísti,  
o beáta Mater Ecclésiæ,  
quæ in nobis foves Spíritum  
Fílii tui Iesu Christi!  
Allelúia.

### **Evangelium**

*Ecce fílius tuus. Ecce mater tua*

#### **✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Ioánnem**

**(19, 25-34)**

In illo témpore: Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius, María Cléopæ, et María Magdaléne.

Cum vidísset ergo Iesus matrem et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri: «Múlier, ecce fílius tuus». Deínde dicit discípulo: «Ecce mater tua». Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Post hoc sciens Iesus quia iam ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dicit: «Sítio». Vas pósito erat acéto plenum; spóngiam ergo plenam acéto hyssópo circumponéntes, obtulérunt ori eius. Cum ergo accepísset acétum, Iesus dixit: «Consummatum est!».

Et inclináto cápite trádidit spíritum.

Iudaéi, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato, erat enim magnus dies illíus sábbati, rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Venérunt ergo mílites et primi quidem fregérunt crura et alteríus, qui crucifixus est cum eo; ad Iesum autem cum venísset, ut vidérunt eum iam mórtuum, non fregérunt eius crura, sed unus mílitum láncea latus eius apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.